

11

LAVRENTII COSTAE  
EPISTOLA  
AD  
THOMAM VALLAVRIVM

ACCEDVNT EPIGRAMMATA GRAECA

STEPHANI GROSSI

LATINA

AMADEI RONCHINI ET LAVRENTII COSTAE



G.S. 33 / 11

AMADEI RONCHINI

EPIGRAMMA.

ADVENA QVI AVSONIAM PERGIS CONTEMNERE NOSTRAM  
ELECTIS DVDVM CEV STVDIIS VACVAM,  
ALPIBVS EXCVLTAS MODO MVSAS CERNE SVB IPSIS,  
PRISCA VIDE VT STVDIIS GLORIA CONSTET IBI:  
NAMQVE AGIT AD LATIAS IUVENES VALLAVRIVS VNDAS,  
ALLICIT AD FONTES GROSSIVS ARGOLICOS.

ΣΤΕΦΑΝΟΥ ΓΡΟΣΣΟΥ

ΕΙΣ ΦΙΛΟΘΕΟΝ ΡΟΓΧΙΝΟΝ.

ΕΙ ΟΣΣΟΝ, ΡΟΓΧΙΝΕ, ΣΤ ΚΑΙ ΒΑΛΛΑΥΡΙΟΣ ΕΣΤΟΝ  
ΜΟΥΣΑΙΣ ΡΩΜΑΙΚΑΙΣ ΦΙΛΑΤΩ ΑΜΦΟΤΕΡΟΙ,  
ΤΟΣΣΟΝ ΕΓΩ ΜΟΥΣΑΙΣ ΕΛΛΗΣΙΝ ΦΙΛΑΤΟΣ ΕΙΗΝ  
ΝΗΜΕΡΤΕΣ ΦΑΙΗΣ Η ΜΑΛΑ ΤΟΤΤΟ ΕΠΟΣ  
ΒΑΡΒΑΡΟΝ ΕΙΣ ΝΕΙΚΕΙΟΝΤΑ ΣΚΛΗΡΟΙΣ ΕΠΕΕΣΣΙ  
ΙΤΑΛΙΑΝ ΓΑΤΚΕΡΗΝ ΠΑΤΡΙΔΑ ΗΜΕΤΕΡΗΝ.

AMADEI RONCHINI

IN LAVRENTIVM COSTAM

SPRETA NIMIS SAECLIO, TOTVM IGNORATA PER ORBEM  
LINGVA GRAVIS LATII, GLORIA CARA PATRVM,  
NVMINIS ACCITV, CVIVS NVNC IVSSA MINISTRAT  
TERRICOLIS FRVSTRA, SCANDERE IN ASTRA PARAT:  
AT PRIVS VLTOREM TE NACTA EST, COSTA; INIMICOS  
VNVS QVI PERSÍ PVNGERE SCIS CALAMO.

LAVRENTII COSTAE

AD AMADEVVM RONCHINVM

NON EGO ROMANAE LINGVAE FVGIENTIS AD ASTRA  
VLTOR IN ITALIA, NON EGO, SOLVS ERO.  
TV QVOQVE CERTABIS LONGE MELIORIBVS ARMIS,  
BARBARIQSVE TVA CONCIDET ICTA MANV.  
QVIN ETIAM, PRAVVM SI FORTIVS IMPETIS HOSTEM,  
OBSTABIS TANTAE, QVOD REOR IPSE, FVGAE.

LAVRENTIVS COSTA

THOMAE VALLAVRIO

SALVTEM

Tu quoque, VALLAVRI, calamum tractare Quiritum  
Acer, et egregiis Allobroga fingere curis,  
Haec habeas, quae pauca meum mare proximus, inter  
Optatas Beverini umbras vinetaque pango.  
Nempe sub auroram, vix parvula garrit hirundo,  
Et meat in clausas rimosum mane fenestras,  
Ocyus e cubitu me post pia praecipitem do,  
Terque manus ambas, ac ter caput abluo totum.  
Hinc ego succinctus pagano more, prehendendo  
Cum petaso magni fulcrum ramalis acernum,  
Ingrediorque viam solus; tamen ut properanti  
Saepe Ligus vapidam satyrographus accubet alam.

Sic iuga conscendo perplexis in via plantis  
Curarum vacuus, terram dum mollis adustam  
Sol quatit, ac parva distendit lampade rimas.  
Mox ubi praegrans furit aestus, et omne cicadis  
Rusque nemusque sonat, stratus per languida clivi  
Pascua, depereo quod scripserat Aulus, et in quo  
Robur inest equidem nullis imitabile chartis.  
Sunt quibus expensum nostri nunc vapulet aurum  
Municipis, quoniam foedatum pulvere crudo  
Hoc minime venis aequari posse meracis  
Consciscunt Latii: trutina culpatur eadem  
Quod brevibus nimium gaudet stilus, et male claudus  
Ampullas Helicone legit, sensumque parata  
Frangit in antithesi. Tales contemnere sannas  
Te iubeo; veteris nam linguae munia calles  
Tota, nec angusto scribendi fine coarctas  
Ingenium. Faciemne locis tot videris unam  
Fortasse? Hic placido se pandunt aequore campi,  
Gramina quos circum praedulcis flexus aquarum  
Illinit, atque aurae pennis fovet undique sudum.  
Ast alibi saevae cautes, et idoneus horret

Lucus apris. Quid enim? valde pugnancia vinclis  
Alligat arcanis naturae discolor ordo.  
Et quidquam sapio si te dictante magistro,  
Ut natura poësis agit, quae rite secundis  
Exprimit exemplum luctata coloribus artis.  
Magna locuturos igitur delectet hiandis  
Vox numeris large, vitroque nitentior ipso  
Cultus inauratae redolens epidictica Romae.  
Mella fluant, blandos quum quid plorabile vates  
Eliquat in nervos, aut pollice ludit adacto  
Carmina, quae lyricas valeant sudasse coronas.  
Ast alius cui bile tument praecordia, foedos  
Qui mores curto violens bene lancinat arcu,  
Ire per anfractus gaudet, creberque figuris,  
Et rauco varias imitari murmure noxas.  
Laudantur primi: non hic, licet inferus, ulli  
Displiceat vafro; simplex namque unio partes  
Omnigenas decorat, pulchri prope mater et apti.  
Non satis ergo meus celebratur ubique rotundo  
Didacus ore canens: cluit en Ferruccia proles  
Callida Musarum latiali sanguine fessam

Restaurare fibram: late nunc Rossius audit  
Atque Senex Thuscus, longumque placendus in aevum  
Italiae Ronchinus amor: nec te, Liverani,  
Nec, Massi, te fama silet, vir classice nec te,  
Vallauri. Nexu vos divite iungier octo  
Augusti baccas fateor; sed et ipse nitentes  
Impleo iuncturas, quamquam brevis ansula torquis.  
Increpet hic aliquis: dignae cur praemia laudis  
Auctores maneant? Vel heri cantaveris alter  
Proteus ambages, vel crasso in marmore functus  
Iampridem sermo tineis fit edacibus esca.  
Ungimus, inque vicem laxam praebemus olivo  
Pelliculam fratres ex Alpibus usque Pelorum,  
Ni fallor, centum; sed portio maxima, quaeso,  
Nostratum quanti facit hos? Odere latinam  
Ignavi gazam lurcones, et decus altum,  
Et dictata gravi felicitis arundine saeculi.  
Cogit avara suos Italum gens ferre deuncem  
Quos olim, Divum metuens, quincunce probato  
Nutrierat loculos: regnat modo syngrapha nummis  
Apta remutandis: regnat modo collybus ingens,

Et, quae spem vanam sursum rapit atque deorsum,  
Alea, non vilem praeceps abradere censum.  
Vesanae quaeruntur opes: gaudete beati,  
Inque volutabris Epicuri mergite pulpam.  
Nil vetat. Ipse avias sectabor, ut ante, Camenas,  
Artificemque traham tinnitu cum mare versum,  
Pusio cui dentes barbatulus inferat albos.  
Laus est damnari sublesto examine. Sutor  
Non ultra caligas, non ultra captus aselli  
Coenosos caules, et amaram fluminis ulvam.  
Hi norint quantos cantatrix gutture primo  
Emeruit plausus, et quanto plebis amore  
Ad numeros acuit crissantes improba clunes  
Callirhoe. Eiusdem sine nomine parva farinae  
Ludicra mirentur, qui forte immanibus arcent  
Vindelicum cyathis, et odori chasmate fumi.  
Quo magis atque magis te, per sacraria Pindi,  
Nunc rogo, VALLAVRI, duces interritus, ultro  
Barbariem partis iaculans portentaque libris:  
Nonne patet seges ampla tuis? at pulchrior haec est,  
Quam cito non vacuae missurus in horrea famae

Collegisse velis. Melioribus annue: vitam  
Pange Biamontis, magni cultoris alumne  
Maior; et officium, nec non facundia sanos  
Ibit ad Italicos fatuorum dedecus ulta.

Beverini Prid. Kal. Sept. an. Christ. cio. 1800. LVIII.

Γρυσσο - Βιτριολι

ΣΤΕΦΑΝΟΥ ΓΡΟΣΣΟΥ

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑΤΑ.

ΔΙΔΑΚΟΣ ΒΙΤΡΙΩΛΙΟΣ.

ΩΤΠΤΙΟΣ ΑΘΛΟΣΤΗΝ ΒΑΤΑΒΟΣ ΠΟΙΗΣΕΝ ΛΟΙΔΩΝ,  
ΚΑΛΩ ΝΙΚΗΣΑΣ ΧΡΥΣΕ' ΑΕΘΛΑ ΦΕΡΩ'  
ΕΞΟΧΑ ΓΑΡ ΜΟΥΣΑΙ ΛΙΓΥΡΗΣ Μ' ΕΠΕΒΗΣΑΝ ΛΟΙΔΗΣ.  
ΚΑΙ ΔΙΑ ΤΗΝ ΝΙΚΗΝ ΑΘΑΝΑΤΩΝ ΜΕΤΕΧΩ.

ΣΤΕΦΑΝΟΣ ΓΡΟΣΣΟΣ.

ΠΟΛΛΩΝ ΜΑΨ, ΑΤΑΡ ΟΥ ΚΑΤΑ ΚΟΣΜΟΝ, ΑΜΕΤΡΟΛΟΓΟΥΤΩΝ,  
ΟΥ ΠΟΛΥΜΤΘΟΣ ΕΓΩΝ, ΟΥΔ' ΑΦΑΜΑΡΤΟΕΠΗΣ.  
ΠΑΤΡΑ ΜΕΝ, ΑΛΛΑ ΜΑΛΑ ΛΙΓΕΩΣ, Μ' ΕΔΙΔΑΞΑΝ ΑΕΙΔΕΙΝ  
ΕΛΛΗΝΕΣ ΜΟΥΣΑΙ ΚΑΛΛΙΕΠΕΙ ΣΟΦΗ.



GROSSO - VITRINA

ALEXANDRIAE STATIELLORVM  
EX OFFICINA LIBRARIA GAZZOTTIANA  
ANN. CHRIST. CLQ. IDCCC. LVIII.